DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
MOTU CORPORIS
EJUSQUE INFLUXU AD MORBOS PRAECAVENDOS ATQUE SANANDOS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN

CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Ignatius Korda,

Bohemus Slemensis

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die Mensis Aprilis anni 1835.

Vindobonae,

Typis Francisci Ludwig.

FAUTORI SUMMO

A C

DILECTISSIMO AMICO

DOMINO DOMINO

JOANNI DRESSLER.

IN AETERNAE GRATITUDINIS ET VENERATIONIS MOMENTUM INBECILLAS HAS LABORUM PRIMITIAS.

Offert

devinctissimus
Auctor.

PROOEMIUM.

Desiderata tandem meta adsequuta, legibus nostris academicis satis faciendi gratia, dissertationem quamvis inexercitatus de motu corporis ea ratione conscripsi, ut: Quidnam motus corporis ad functionis organicas harmonice peragendas conferat et quae noxae ex defectu vel quantitate ejus peccante oriantur, quibuscum cautelis et in quibus sanitatis laesae formis et quommodo sit ad hibendus, mihi exponere pro posuissem. Quapropter lector benvole, dum pagellas has pervolvis, opellam hanc nil

esse, nisi dissertationem a tirone conscriptam, in memoriam revocare velis, qui penitus liber est a fervore nomen exinde illustre sibi comparandi.

Introductio.

Notiones historicae.

§. 1.

Omnis creatura vivens, etiamsi animalculum oculo inarmato vix dignoscendum, motu organico scilicet expansione et contractione perpetua organismi vel singuli ejus organi existentiam suam manifestat et sustentat. Jam vero exinde patet, naturae illum ad conservandum universi et singulae creaturae functionum concentum harmonicum valde necessarium esse. Serena mente ulterius indagantes, motum organicum semper iritamento vel impulsu quodam sive ex organismo, sive ex potentiis externis prodeunte provocari invenimus. In homine et animalibus magis evoluto systemate nervoso et sanquineo praeditis, quorum insimul organa ad motum destinata, artificiose et mirifice constructa fuere, praeter motum, qui influxu potentiarum externarum involumturie cietur alium adhucdum observamus, quo ad arbitrium et voluntatem de loco in locum cito et celeriter vel pedentim et tarde moventur,

cujus motus salutare atque necessarium exercitium explanare conabor.

Prius quam autem sententiam meam argumentis scientificis illustravero, cum opinionibus virorum peritissimorum suffulciam. Ut clarius illucescat, quidnam ad conservandam sanitatem et ad mitigandas morbos conferat motus scilivet corporis justus et moderatus, in scriptis mihi praestantibus huic materiae congrua invenientia praecedant.

Artis nostrae Coriphaeus ait in libro de diaeta §. 1. Homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret; contrarias enim inter se vires habent cibi et labores, verum inter se mixti conferunt ad sanitatem.

Quapropter aegros ad roborandum corpus, non solum ob acris salubritatem et varietatem regionum locorumque, sed et ab motus muscularis emolumentum Alexandriam miserat.

Quam ob rem asserit Plato in suo libello de politica: Graecos tempore heroum catarrhos arthritidem et flatulentiam ignorasse eoque tempore de diaetetica nullam mentionem fecisse, artemque medicam cura morborum solum endemicorum et quoad laesiones occupatam fuisse.

Galenus lib. 2. de sanitate tuenda scribit: Sanitatis tutela a labore est auspicanda.

Celsus dudum id professus est, perhibens: Ignavia corpus hebesci, labore firmari, illa maturam senectam, hac longam adolescentiam proferi.

Plutarchus narrat de Cicerone, eum in juventute gracilem et ventriculo adeo debili praeditum fuisse, ut paucos cibos digerere potuerit. Athenas profectus, ibidem gimnasticis exercitationibus adeo roborabatur, ut ipsa ejus vox plus intentionis claritatis et amoenitatis adipisceretur.

Notum de Julio Caesare, illum in juventute cephalalgia continua et epilepsia laborasse, ast perpetua itinera militaria, vita magis villaris et commotio perpetua, valetudinem ejus mirifico modo confirmabant.

Vegetius quotidianas armorum exercitationes ad sanitatem militum conservandam plus conferre, quam medicos asserit, quod ex quotidiana experientia elucescit; nam in captivis longo tempore incarceratis sine ullo fere motu retentis, res patula est, tumidulum corporis habitum videndum, leucophlegmaticos hydropicos scorbuticos fieri, dificultates digestionis abstructionis et mala exinde nata experiri.

Sectio prima.

Motus corporis respectu phisiologico consideratio.

§. 2.

Hoc modo confirmata et experientiae et auctoritatis fide argumenta scientifica adducere restat, quibus clarum sit: Quidnam conferat corporis motus ad functiones organicas harmonice peragendas; quae noxae ex defectu vel quantitate peccante hujus motus oriantur, quibuscum cautelis ad plurimorum morborum curam, quomodo et in quibus sanitatis lesae formis sit adhibendus.

§. 3.

Verum tamen, ut primo corporis motus in functiones organicas effectus explanam, supponendum ex physiologicis censeo, vitae et sanitatis rationem maxime a sanquinis et aliorum humorum aequabili circulo et motu pro et regressivo per majores minoresque corporis meatus adeo dependere, ut motus hic salvus ac incolumis evadat, inutilia superflua ac excernenda per congrua corporis organa evacuatoria et transpirationem removeantur, utilia autem et organismo adaequata serventur.

§. 4.

Motum hunc variantem praeprimis expe-

riuntur vasa musculos perrepentia aut illis contingua, horumque humores continentia. Nam musculus, dum agit, brevior fit, crassior duriorque, nontantum ipse movetur, sed et tota sua mole et quavis fibra movet partes, quibus nectitur, quas tangit; movet itaque tam antagonisticas quam contiguas partes, nunquam brevior crassior duriorque fieri potest, nisi partes ad se invicem magis accedant, nisi fibrae musculares firmius inter se cohaereant conectantur et sibi aproximentur, quo effectu ejus vasa praemuntur arctantur, humoresque contenti agitantur.

§. 5.

Redeunte autem expansione humores in vasis contenti nunc exprimantur nunc retineantur, nunc aequabiliter canales suos perfluant, stagnantia in canalibus et receptaculis moveantur, fluentia promoveantur aterantur, mutuaque solidorum fluidorum que actio intendatur, necesse est.

§. 6.

Praeprimis vero musculo se contrahente sanquis venosus in venas majores exprimitur, minoribus autem inanitis arteriosus repellitur; relaxato iterum musculo eo velociori impetu in venam inanitam irruente, quo haec minus re-

sistit, adeoque musculo agente alterne, expellat et admittat sanquinem, hinc cordi quodam modo similis evadit ita, ut diceres, in omni musculi contractione et expansione systolem et dyastolem systoli et dyastoli cordis similem inveniri. Hinc totidem corda quasi analoga sanquini opponi, quot musculosmoveri, et cum musculus attenuat dissolvat et atterrat sanquinem, tunc pulmoni quasi similis redditur, ut ita dicam, musculum quemque esse ad sanquinem per musculum ejusque vicinitatem decurrentem, quod pulmo sit respectu totius massae sanquinis; utrumque docet sanquis e vena missus, motu manuum musculari sub ipsa venaesectione accellerari.

§. 7.

Sanquis igitur praeprimis venosus musculorum actione mutatus, lympha ipsa eadem actione copiosius expressa majori quantitate violentiorique impetu in ramos majores propulsantur et celerius per venam cavam in atrium atque ventriculum cordis dextrum invehuntur, quibus cor ad majorem atque citiorem ejus contractionem excitatur; nam proxima motus cordis causa est influxus sanquinis venosi in ejus atria.

§. 8.

Sicuti autem ante dictus sanquinis influxus ad cor dextrum se habet, ita cor se habet ad pulmones, hi ad cor sinistrum, hoc ad aortam. Sanquinis itaque venosi motus musculis agentibus incitatus, numerum ac vim cordis contractionum intendit, unde et intenditur et actio pulmonum et arteriarum. Hisce actionibus ad auctis sanquis magis elaboratur attenuatur, crassiores ejus particulae exactius dividuntur, transpiratio adaugebitur, aliena evacuantur atque universa excretionum oeconomia et sanquinis circulus, in quibus fere fundamentum vitae et sanitatis ponitur, incolumis et incorrupta servatur.

§. 9.

Sub debito motu musculari non solum circulationem et respirationem sed et per has organa abdominalia adsimilationi et reproductioni dicata rite opus suum peragore sequentibus nitar argumentis:

Digestionis opus per affluxum salivae liquoris gastrici et contractione ventriculi perpetua Diaphragma inter et musculos abdominales cieri, et circulatione debite vigente menstrua haec secerni Physiologia ostendit. Fortior crebriorque respiratio diaphragma musculos-

que abdominales, quibus iterum ventriculus ejusque contenta praemuntur; sanquinis influxus in ventriculi tunicas liberior copiosiorque evadit, unde robur ventriculo accedat necesse est. Ingesta itaque diluuntur macerantur solvuntur et per vim proeli abdominalis in vita laboriosa debite auctam ad intestina defferuntur; hic iterum debita liquoris pancreatici enterici et bilis quantitate miscentur atque diluuntur. Quo facto naturae convenientia ope resorptionis processu per vasa lactea, glandulas meseraicas ductumque thoracicum ad venam cavam usque defferuntur et cum sanquine miscentur. Reliqua ex nutrimentis praecipitata, uti residua ciborum bilis liquoris gastrici enterici et pancreatici, quae in succum et sanquinem deferri non possunt, brevi temporis spatio motu intestinorum peristaltico per anum expelluntur.

§. 10.

Hisque omnibus commodis vita iners atque sedentaria caret, dirisque morbis non raro adficitur, ut ex solo hoc respectu jam misera sit dicenda. — Nam torpente actione musculari sanquis sola vi cordis et arteriarum in circulum agitur parumque pabuli lanquente etiam pulmonum functione universo corpori adfertur. Lanquente itaque circulatione atque respiratio-

ne omnes reliquae functiones tabescunt. Parva evadit digestio, ingesta dificillime digeruntur, ructus flatus dyspepsia colica vomitus dyarrhoea status pituitosus aut verminosus exoriuntur. Lympha spissa in vasis atque glandulis suis stagnans, genitrix infarctuum evadit; tument glandulae meseraicae, tabem ascit idem minantes, tument et hepar et reliqua organa abdominalia. Tumentia iterum organa stagnationibus profluviisque diversis morbosis ansam praebere et calculos icterum chlorosim hidropem scyrhum atrophiam et tot tantasque cachexias producere possunt. Circulatio ipsa omnium fluidorum lanquescit, calor animalis imminuitur, secretiones et excretiones qualescumque retardantur pervertuntur, totum corpus tumescit, habitus scrophulosus leucophlegmaticus atque scorbuticus aut macilentus tabidusque horrendum claudant agmen malorum: Non mirum itaque si quotidie in sedentariis multa horum malorum sunt observanda, quibus adhuc accedunt vitia respirationis, uti dyspnoea asthma vitia cordis aneurismata vasorum majorum et centum alia.

§. 11.

Mullibi autem citius frequentiusque defectus motus mala sua ostendit, quam in syste-

mate venae portarum; sanquis enim hic circulans, cito lentescere et stagnare in suis vasis incipit, sicque hypochondriam cum materia ceu jenuinam vitae otiosae sobolem procreare valeant, quae et non raro in maniam usque adolescit, nisi haemorrhoidum fluxus felici partu foetum hunc excludat.

§. 12.

Recte itaque vena portarum porta malorum nuncupatur. Contemplemur Protheum huncce morborum arthritidem, quae sub diversissimis formis universum genus humanum longe lateque extorquet! In extenso systemate venae portarum totam vegetationis sphaeram perrepente sedes horrendi istius morbi deprehenditur.

§. 13.

Motus etiam excessivus detrimenta sua habet et multorum evadit fomes malorum. Intenditur in genere sanquinis circulus, cordis atque vasorum parietes uberius verberantur, febres et inflammationes diversorum in encephalo thorace et abdomine reconditorum organorum provocantur.

§. 14.

Adaucta circulatione musculis agentibus

alor et turgor animalis adaugentur, sanquis xpanditur et expansus vasa obruit capilaria ıinus resistentia; organa mollia latice vivifiante suo obruuntur, congestionibus profluiisque aliis activis faventia, animi deliquium t apoplexia etiam non raro sequuntur. Favent arro hisce eventibus aetas juvenilis, habitus iversi morbosi, ut plethoricus phthisicus et racilis, temperamentum sanquineum et alia.

§. 15.

Calore porro sanquis expansus in cutis ısa urgetur et transpiratio movetur. Ad aucta ro transpiratione corpus non solum hebescit vires exeduntur, sed et ob nimiam humoım nobilium jacturam animi deliquium, maram senectam et mortem citam patiuntur.

§. 16.

Serum sanquinis itaque dissipatur remaınte crassiori parte cruere. Sanquis densus assus et minus permeabilis evadit; praeprilis autem lympha coaguabilis inspissatur et ılogisticae sanquinis indoli favet. Stagnant ıque humores ex causa iterum contraria, rescunt putrescuntque; putrescunt et alii huores inquilini, quaeprimis autem bilis cormpitur. Spissa tensaque bilis minori secertur quantitate, itaque minus etiam excreta tum digestionis opus labefactatur. Rances-

cunt, patrescunt, acescantque chimus et chilus et rancida iterum coluvies multis et gravibus discrassiis ansam largitur.

§. 17.

Lanquorem dein ex quolibet nimio motu progredientem organa omnia experiuntur. Cutis calida turgida rubraque contrahitur pallescit et relaxatur; musculorum actio nimis intensa languet; cor vasaque majora sanquinis contractione nimis dilatata, elasticitate spoliantur, evaduntque minus vacua. Medula ossium ipsa diluta, per vasa resorbentia sanquini iterum advehitur et sic consumitur.

§. 18.

Ex perversa partium tam fluidorum quam solidorum indole facile exinde fluentia symptomata morbosa interpraetantur. Praeprimis pulmones sanquine obruti inhibitam respirationem suffocationem profluvia inflammationes et phthises cum eorum sequelis minantur. Uterus gravidus nimia corporis intensione ad contractionem ipsam urgetur, et partu praematura foetum in lucem protrudit; haemorrhagiae porro ipsae prolapsus herniae et gravia mala diversa tali modo adducuntur.

Sectio Secunda.

De cautelis sub quolibet motu corporis observandis.

§. 19.

Rationis medelae duplicem distinquimus

corpus movendi modum, prouti vel suis aut alienis viribus hoc salutare exercitium peragitur. Primum activum alterum passivum nuncupari placuit Hygienae scriptoribus. Complectuntur autem his varia exercitia, quae non vehementia solum motus muscularis, sed et diversis effectibus suis a se invicem differunt.

Licet haec in diaeteticorum scriptis sat bene hucusque exarata inveniamus, tamen ut scopum mihi praefixum attingam, quatenus vires et tempus sufficiunt, primo regulas quasdam universales, dein singulorum corpus movendi methodorum effectus eminentiores adjungam.

§. 20.

Regulae notatu dignissimae sunt sequentes:

1. Sub quocumque corporis motu ad id respiciendum, ne ad singulum membrum restringatur, sed in totum corpus influat. Quam ob rem ambulatio, itinera, blanda saltatio, lusus pilli utilitate excellunt;
2. Inspiratio aeris puri et liberi cum omni motu copulanda, nam multi opifices, uti fabri ferrarii, panni textores sufficientes faciunt motus, attamen ipsis minime conducunt ob cammorationem in aere impuro.
3. In omni continua et vehementiori corporis commotione praecipue in itineribus tenuem

et parcum victum adsumere necesse est, quia facilius colluvies ciborum magnam ventriculo noxam infert. Praecipue evitandus est pastus largus vespertinus et potulenta spirituosa. Cerevisia bene fermentata et jusculum bene conducunt. Ceteroquin appetitus adauctus semper commotionis bonum signum. Corpore aestuante thea cum lacte et butirum cum pane deligatum et salubre praebent recreamentum.

4. Maxima pars hominum in eo peccat, quod cito ex uno in alterum malum ruat, vel subito vehementiores corporis motus tentet vel ex tardis et paucis commotionibus recreamentum expectet, quamobrem gradatim solum vires exercendae et corpus roborandum.

5. Diversus etiam corporis motus valde utilis, ita, ut ambulatio cum saltu aut ludis et laboribus, equitatio cum vectione in rheda aut navi alternent.

6. Susceptis et tentatis itineribus longioribus, pediluvia aut balnea tepida cutis et musculorum tensionem valdopere mitigant.

7. Nequaquam sub motu corporis functiones mentales intendantur. Colloquium jocosum cum consortibus et adspectus naturae exhilarantis sint occupationes itinera suscipientium.

Sectio tertia.

De corporis motu diversitate.

§. 21.

Motus corporis activus vario instituitur modo, uti ambulando saltando venando atque natando. Huc etiam spectant lusus diversi cum pillis atque palestris et alia.

Inter motus hosce primum locum occupat: deambulatio, qua omnium fere musculorum fit aequalis motio, hinc omnes salutares effectus, de quibus jam supra monuimus, motus pedisequas habet et a quolibet etiam facillime et sub omnibus circumstantiis est instituenda.

§. 22.

Deambulationi accedit saltatio blanda placida decensque. Multa ex hacce amoena exercitatione evaderent commoda, nisi per longius temporis spatium magnaque corporis intentione, uti plerumque videndum est, perageretur. Intenditur functio pulmonum, vasa majora minoraque sanquine oplentur, calor et turgor vitalis increscunt, et extensa cutis plaga calet sudatque. Adauctis omnibus corporis functionibus facile sanitas periclitatur, facillime autem agentibus potentiis morbiferis; qua propter non mirandum, si in saltantibus phthises profluvia et retentiones omnis generis, apoplexia et mala centena alia, sanitatem etiam fir-

missimam pervertant et mortem addacunt. Itaque ad morbos praecavendos atque sanandos hocce corporis exercitium non svadendum.

§. 23.

Quod motum corporis attinet, qui sub lusu cum pillo atque palestra celebratur, maxime salutaris evadit, quia omnes musculos ambulatione ipsa intensius et magis exercet.

§. 24.

Proxime huic motui accedunt lusus gimnastici et alii, qui plerumque Spartae celebrabantur et maxime ad roborandum corpus conducunt, quod Athletes antiquitatis demonstrant.

§. 25.

Quod sexum virilem venatio et opificia in horto aut agro instituenda, huc spectant, quae insimul cum salutari in aere libero corporis exercitatio, omnes mentis vires continua actione defatigatas exhilarant.

§. 26.

Ars natandi ob varios, quos exigit motus et ob stimulantem aquae impressionem ad egregia hujus ordinis spectat remedia, dummodo dibita cautela instituitur.

§. 27.

Inter motus passivos maxime solennis est equitatio, quae eo excellit, quod abdomen vallidius concutiat, breviorique temporis spa-

tio sufficientem producat motum. Solum hoc meminisse juvabit, temulentos haemorrhoidarios in phthisim herniam conjestiones ad encephalum dispositos aut morbis organorum uropoeticorum laborantes gravius plerumque plecti. Vectio in rheda navi sella lectuca priori fere aequales habent effectus attamen leviores, quam ob rem haec motus passivi species solum debilioribus et sensilioribus hominibus commendanda esset, ob leves concussiones et aeris liberi accessus.

§. 28.

Dein ut circa corporis exercitationes quasdam regulas diaeteticas adjungam: meminisse juvabit, infantibus idoneum esse in lectulis cunis vel nutricum ulnis moveri, pueros a ludis aliisque exercitationibus non cohiberi a severis nimis parentibus vel custodibus. Adulti salubri corporis motu vires sustineant et firmant. Senes se exerceant laboribus vehementia tamen eorum remissa; ipsa autem exercitia fiant in puro temperato liberoque aere, sint moderata quibusdam intervallis, praeprimis aestate corpus mentemque recreantia, totum corpus membraque omnia aequabiliter moventia. Optime prima et secunda hora post coenam incipiant, finis sit incipiens lassitudo aut levis sudor.

Sectio quarta.

Motus corporis respectu therapeutico consideratio.

§. 29.

Qua medicamentum aut adjuvans alia remedia motus corporis ab omni aevo jam laudatur in coluvie mucosa pituitosa et prodeunte inde indigestione obstructione et colica. In morbis dein, in quibus materiarum organicarum resolutio retardantur, unde humores spissantur, canales infarciuntur obstruuntur, organa mollia indurantur et viscera atque glandulae intumescunt. Hisce obstructionibus infaretibus et induraticnibus organa in abdomine sita, uti hepar lien uterus et ovaria praeprimis plectuntur et jenitrices multorum malorum evadunt. Pletora abdominalis sanquinis presertim venosi laticem suum in vasa haemorrhoidalia urget et morbum haemorrhoidarium provocat. Phaeter diaetam congruam nihil tam facile plethoram istum venosam dissipare volet, quam congrua corporis exercitatio.

§. 30.

Arthritis ipsa tam acuta quam chronica, quae frequentissime cum plethora venosa copulata incedit, in hocce medicamento non solatium tantum, sed et radicalem morbi medelam invenit. Familiaris plerumque morbus est ditibus, gulae et baccho studiosis, in quibus

nimio virium incendio facultates omnes exhauriuntur. Torporem exhibet in organis, quae praesidia sunt digestionis sanquificationis secutionis excretionis atque nutritionis. Plectuntur arthritide porro homines, quibus potentiae metrientes atque stimulantes detrahuntur, quorum vires jactura sanquinis seminis et humorum nobilium quorumcumque exeduntur. Ad vitam ítaque lanquentem excitandam et ad efrenem moderandam, ne corpus et mens aliquid detrimenti capiat, motus corporis primum sibi vindicat locum. Quibus itaque notus corporis officiis et muneribus denegatus erat, uti ministris civitatum doctoribus et literatis, obstructionibus, haemorrhoidibus arthritide et aliis plectuntur; omnium horum malorum victares corporis justa et debita exercitatione evaderent.

§. 31.

Magnum praebet remedium motus corporis ad delendam dyathesim catarrhosam atque rheumaticam. Aetas juvenilis habitu plerumque scrophulosa donata minimia aeris athmospherici mutatione, corixa aliisque affectionibus catarrhosis plectuntur, praeprimis autem vero et auctumno. Crebuor corporis motus in aere sereno puroque, parva itinera equitatio aut vectio in rheda hancce dyathesim optime fugare valent, si tantum vestimentis aeris tem-

peraturae correspondentibus erga refrigerium, quod secus facile pati possunt, et magis damni quam lucri capiant, satis tucantur. Hoc et de rheumatismo valet. Homines vitam sidentariam degentes et aeris vicissitudinibus non adsvefacti, cuti luxa grucili teneraque corripiuntur, et sic facile refrigerium patiuntur. Hocce evitare cupientes, pellibus vestimentis gravibus ex lana et aliis contextis teguntur et revera in contrarium errorem delabuntur. Morantur porro in clausis cubilibus nimiopere calidis et primo ventui minus amoeno expositi, variis jam rheumatismi formis vexantur. Quod motu et exercitatione corporis in aere libero minus calido tatam erga rheumatismos dispositionem eradicare valeant, quotidiana testatur experientia.

§. 32.

Homines dein morbos gravissimos superantes frustra in longa eorum reconvalescentia remediis nutrientibus restaurantibus atque roborantibus uterentur, nisi modicas corporis exercitationes in aere puro atque sereno instituerent. Testimonio sunt reconvalescentes post typhum, febres nervosas et alios morbos adinamicos relicti.

§. 33.

Nunquam remedia marcialia et china tantos exererent effectus, nisi eorum digestio atque subactio debito corporis motu suffulciretur. Maxime autem utilitas motus corporis in oculos caedit in aegris viscerum obstructionibus laborantibus, qui longa instituunt itinera, ut balneorum usum possent tentare. Solven-

tium aquarum et balneoram virtus nunquam in aegrorum salutem cederent, nisi corporis exercitia insimuel instituerentur, et tali ratione vitam lanquentem non solum in infarctis atque obduratis organis, sed et in omnibus corporis systematibus et organis excitarent. Quibus itaque aquarum soteriarum usus conceduntur atque suadentur, commendatur quoque frequens motus corporis, quibus simul junctis unice virtus salutaris dependet.

§. 35.

Morbus dein scrophulosus atque rhaehitis tam infantum quam adultorum in motu corporis invenit summopere dignum medicamentum. Ut itaque prava nutritio atque retardata reproductio ad normalem redire possit statum, motus continuus per longius temporis spatium protractus, in aere puro serenoque svadetur. Commendatur porro obambulatio in pratis virentibus in hortis et nemoribus. Quam ab rem remedia sic dicta antiscrophulosa effectus suos salutares nunquam exerere possent, nisi motus externus simul institueretur.

§. 36.

Huc spectat et chlorosis, cujus proxima causa imperficta sanguificatio incusatur. Hanc ob rem totius organismi evolutio potentissime retardatur, et spherae sexualis maturatio citius quam fus est, explicatur, aut suprimitur. Ad digestionem sanquificationem et nutritionem adaugendam, ad infarctus organorum reproductioni inservientium, qui morbum pollidum virginum concomitare solent, dissipandos, motus corporis, praeter solventia tonica ibidem creberrime usitata, est svadendus.

§. 37.

Ingentes dein in iisdem febrium intermittentium casibus exerit motus corporis effectus, quae non tantum ex intemperie nervorum systemati gangyliorum dicatarum, sed et ex placentis praecipue fibrilibus relictis exoriuntur. Sub placenta febrili morbosus intelligitur status, sub quo vasa lymphatica, glandulae meseraicae, hepar lien et reliqua organa abdominalia tumescunt; alienantur inde reproductio, nutritio se-et excretiones et propria cachexia adducitur, quae sufficientes iterum causae febrium intermittentium vices gerere valet. Infarctibus et obstructionibus istis non dissipatis, febres tam diu perdurant, donec vita, hydrope scyrhoque diversis et aliis cachexis finitur. Ad febres tales intermittentes sanandas, primo causa eorum indurationes antedictae sunt resolvendae, et febris sua sponte cessabit. Quod autem motus corporis cum interno medicamentorum solventium usu conjunctus ad delendas abstructiones et indurationes conferat, supra jam monuimus. Motus corporis princeps itaque praebet remedium in illis febribus intermittentibus, qui vel placentis febrilibus concomitantur vel ex iisdem exoriuntur.

§. 38.

Morbus etiam regius, calculi fellei et ascites in corporis exercitatione medelam suam agnoscunt. Omnes hi morbi radices suas in abdomine reconditas gerunt; auferuntur etiam resolutione harum indurationum. Inter varios itaque medendi modos, motus etiam corporis

pertinet, qui saluberrimos suos effectus tali modo edit. Rustici et omnes vitam activam degentes raro certe morbis similibus plectuntur, sed varii opifices, sutores, sartores, scribae, urbium incolae, praecipue autem sexus femineus, qui ad passivum magis vivendi modum a natura est destinatus.

§. 39.

Hypochondriaci, feminae hystericae et omnes diversis neuralgiis, ut epilepsia, chorea St. Viti atque aliis artuum tremoribus laborantes, in corporis motione in aere libere magnum inveniunt remedium. Nimia enim cutis sensilitas erga omnis generis stimulos obruitur atque compescitur, praecipue autem si natando in aqua frigida motus musculares frequentes exercent. Natare discant, cutis culturam sibi adsvesaciant lavando eam quotidie aqua frigida; ne diu et tenuibus solum tegumentis et minus tepidis darmiant; nam calor sic adauctus cutem laxam teneram gracilem mollemque producit, morbis nimioperc obnoxam.

§. 40.

Dein et in thabidos phthiscosque motus corporis influxus suos salutares ostendit; rari habitant victu tenui ex lacte et obsaniis parato fruuntur; obambulant in aere amoeno in hortis et nemoribus, et vitam, de qua sub aliis rerum circumstantiis jam canclamatum erat, adhuc prolongarunt.

§. 41.

Scorbutus dein et morbus maculosus Verlhofii atque reliquae morborum speties, quae corporis et humorum resolationem tentant, in

ambulatione et aliis corporis motibus in aere puro, quid quam frigidiusculo medelam suam saepe saepius agnoscunt. Aegri scorbuto laborantes, pallidi luridi prospiciunt, membra flaccida debilia atque doloribus rheumaticis plectuntur; tarde incedunt, minima jam motione defatigati sedere aut decumbere desiderant. Appetitus penitus deprurvatus; sitis acidula exoptat; respiratio pulmonibus lanquentibus inhibita, asthmate molestatur; alvus aut clausa aut fluida; urina intense tincta ab resolutis humoribus spissa foetet, et pulsus tangitur tardus atque debilis. Sanquis et alii humores resoluti variis organis evacuatoriis evehuntur et aegros orci faucibus adducunt.

§. 42.

Eadem miserimma notatus est imagine morbus maculosus Verlhofii, in quo striae et maculae a sanguine resoluto conspiciuntur, nisi adhuc haemorrhagiae passivae mortem securam citius adducant. Ad sepses humorum itaque inhibendas, ad tonum materiae odaugendum, vires roborandas, medicamina non interna tantum usitantur, corpus aqua acidisque lavatur, sed et motus corporis commendatur; robaratur inde totum corpus, aere libero sereno puroque pulmones magis exercentur sanquinis descarbanisatio adaugetur, tubus intestinalis confirmatur et lanquida digestio vires exesas restaurat. Quod motus corporis inhibitus et aer humidus miasmatibus et aliis impregnatus, scorbutum provocare valeant, itinera navi facientium testantur.

§. 43.

Multa adhuc et notatu dignissima de corporis motione quoad morbos praecavendos et sanandos, nisi tempus urgeret, dicenda essent. Sed supra adductorum dogmatum observatio cum temperantia in edendo et bibendo juncta sine dubio firmissima sanitatis confervandae vitaeque, quantum fieri potest, prolongandae sunt media, quae simul juncta efficiunt, quod corpus nec viribus nec sensus acie, nec animus hilaritate orbatur. Experientia teste et innumeris hanc confirmantibus exemplis neminem latet, juvenes recto exercitationum corporalium usu haud paucum corporis robur adeptos et perinde aptos factos fuisse, labores etsi difficultatibus magnis conjunctos suscipiendi ad studia diligentissime incumbendi, et publica officia pro patriae salute sine sanitatis detrimento peragendi; cum e contrario hae corporis exercitia aptissimum sint remedium, juvenes a turpi otio et quovis voluptatum genere retinendi, quibus corpus enervatur et matura senectus adducitur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Motus corporis non excedens et legitima ejus agitatio non solum ad sanitatem conservandam, sed et ad morborum chronicorum curam, multum confert.

2. Morbus in contrarium ac vita sana ruit effectum.

3. Medicus naturae minister et interpres tantum facit et intelligit, quantum de naturae ordine re vel mente observaverit, neč amplius scit aut potest. — Bacco de Verulam.

4. Constat iis, quibus nutritur corpus.

5. Artis insufficientiam accusant nonnulli, propriam ut celent inscitiam.

6. Simplex veri sigillum.

7. Examen aegri nunquam negligendum.

8. Morbi oriuntur novi, antiqui evanescunt, aliorum complurium natura forma intensitas cum tempore multum mutantur.

9. Datur et chimica medicamentorum actio.

10. Sanquis non nutrit, sed vehiculum potius materiae nutrientis sistit.

11. Morbi ex contagio evoluti edatiores sunt et nobiliores illis, potentiis aequivocis pepertis.

12. Seminis jactura corpus praeceteris devastat.

13. Nulla contra nomina morborum, multa contra morborum causas dantur specifica.

14. Genu exarticulatio amputationibus non est postponenda.

15. Nominalis medicina pure scholastica et phantasiae tantum filia.

16. Parum nutritionis liquor amnii foetui largitur.